



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LIV. Saulis à Deo reprobatio & exitium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO LIV.  
SAVLES A DEO RE-  
PROBATUS, MALEPERIT.

1 Reg. cap. 13. 14. 28. 31. Annis Mundi. 2968  
&c. & 2979. Qui fuit ultimus Sauli. Ante  
Christum 1085. &c. & 1048.

Quantam obsequij promptitudinem exigant, & constantiam, quaecunque vel apertè, divinitus; vel humanitus quidem, sed tamen sic quoque DEI jubentur auctoritate, luctuoso non minus documento, quàm perpetuo monumento Saules est, primus gentis Hebrææ Rex, cujus causam, modùmque *Reprobationis* exponemus.

Philisthini, jurati Israëliitarum hostes, illatam, per *Jonathan* Saulis filium, cladem ulturi, *Galaaditidem* regionem valido cum exercitu invaserant, lateque formidine circumlatâ, etiam urbi *Galgalis* imminentes, Saulem, qui tum ibi morabatur, magnas in angustias coniecere, dilabentibus plerisque per summam ignominiam, Israëliitarum non modò copiis, sed etiam viritim in singulos dies militibus. Perstitit tamen Rex, præceptorum Samuelis memor, sex ipsos dies. Restabat septimus, quem Samuel diserte, signatèque præfinierat. In quo mandato, quoniam DEI fuerat, non hominis; quarendum non erat; curnam dies sex expectationi tam periculosa, non sufficerent? sed septimus insuper requiretur, ad populi trepidationem, ac periculû magnitudi-

dinem augendam? cum enim quidpiam à DEO præcipitur, vetaturve: tota præcipiendi, vetandique ratio, ipse sibi DEUS est: qui leges & jura dat; legum autem causas, & demonstrationes dare neque solet, neque debet. Illuxerat dies septimus, & verò magnis jam passibus procedebat. Nondum præstò Samuel erat. A tergo, lateribusque Philisthæus instabat hostis: & qui pellendo hosti collectus miles Hebræus erat, adhuc in singula momenta, tanquam autumnii frigore folia, divolabat. Neque tamen adhuc id, cujus causâ Galgala Rex petierat, & ibidem tot dierum moram devorârat, perfectum erat Sacrificium, destinatum ad DEI favorem & gratiam, bello tam duro, præmolliendam. Tot igitur ac tantis gerendæ rei difficultatibus circumvallatus Saules, Sacrificium aggressus; non fuismet quidem (quod aliqui volunt,) fortasse manibus (quippe Regno, non Sacerdotio consecratis) sed Pontificis *Achæ* operâ, quem in castra secum adduxerat: litavit quidem, & perfecit hostiæ flammam atque cineres. Sed quantum victimam, tantum Numinis indignationem accendit: cujus testis & interpres statim factus est Samuel. Is namque Sacrificio jam consummato superveniens, cum obviam egressum, honoris ac reverentiæ causâ Saulem interrogâisset, idque succensentis, non ignorantis, stomacho: QUIDNAM FECISSET? eum nequaquam, pro spe regis excepit. Nam ipsum purgare se, necessitatis extremæ legibus conantem, graviter increpare, severèque cœpit: quippe qui non expectando septidui novissimam lineam, haud inobsequentem duntaxat præcepto Numinis, sed planè rebus quoque fuismet malè consu-

lentem, ac stultum sese præbuisse. Obtemperandum fuisse DEO, tametsi morte quoque sua, residuaque multitudinis iuternecione, cœlestis imperij staturum fuisset obsequium. Ac potuisse DEI potentiam non modò vivos in tutum, & libertatem; Sed etiam interfectos, in vitam aciemque revocare. Quanquam minimè gentium id in fatis fuerit, ut Philisthæis tunc delerentur: quorum gladios, sicut à cervicibus Hebræorum, divinæ manûs præsidium sex antecedentibus suspendisset diebus; ita cohibere potuisse, reipsaque cohibiturum esse, sub septima quoque lucis finem atque fugam. Potius id delinatum (cum exceptione tamen) fuisse; sub idem hoc tempus, & populi sui securitatem, hostium occidione, præstare tranquillam, & Saulis domum atque stirpem æternitate regni constabilire. Nunc autem vitiò regis (quippe DEO suo nec innitens, in rebus arctis, nec ad præscriptum obtemperantis) neque radices porrò, neque ramos aut frondes transferum esse Saulææ familiæ sceptrum: sed exarescente propagine dominatûs, in ipsis sui principijs, habiturum finem. Jam enim alio de rege subrogando cogitari, qui rex, spretum à priore Numinis imperium, obsequendi promptitudine resarciret. Idque non tantummodo deliberatum in cœli curia, sed penitus etiam conclusum esse: decretumque iam factum irrevocabile.

Samuelis tam vehemens, tamque inexpectata regis auribus increpatio divinationi conjuncta, quantos in animo Saulis cogitationum fluctus excitavit, tametsi perscriptum Sacris in voluminibus non sit, conjecturæ tamen difficultatem, apud humanarum

affectionum intelligentes, nullam habet. Sauli quidem certè, tam multis antehac nominibus probato regi, brevissimam unius dieculæ moram non pertulisse, gradus fuit primus, ad omnes deinceps reliquæ vitæ luctuosos dies. Nimirum nihil unquam censerî parvum debet; quod mandat ille, cui sua minimis etiam in rebus, summa semper majestas constat.

Samuel cùm tristi illa denuntiatione perculsum Saulem reliquisset, concessit in urbem Gabaam, ubi tum cum præsidio mille virorum Jonathas, Saulis filius, agebat, ad Philisthæorum, vicina loca insidentium, excursiones prohibendas. Fortissimum Regij Juvenis facinus, cum pari gloria conjunctum, non possumus non hoc loco, ita ferente historiæ serie, commemorare. Philisthæorum castra stabant medio, inter *Machmas* (urbem tribûs Ephraimææ australi) loco, prærupto, & pænè inaccessò; ideòque minùs custoditò. Ea re animadversa Jonathas, cui & sua dignitas, & ætas & conscia virtus, & quod caput est, singularis Numinis afflatus animos faciebant; circumspicit opportunitatem egregij alicujus facinoris perpetrandi; communicat consilium cum adolescentente armigero suo, ad Principis mores ac voluntatem facto, fictoque. Adrepunt duo soli per asperissimas cautes ad Philisthinorum stativa: invadunt excubitores, iisque proximos; nec pauciores, viginti prosternunt. Inijcitur trepidatio totis castris, terrorem augente inusitato terræ motu, & hostium animos ita perturbante, ut, dum in fuga alij alios aut retrahunt, aut implicant, in se ipsos arma converterent (quod etiam tempore Gedeonis factum)

Etum ) & mutua se cæde trucidarent. Saules quoque recollecto exercitu facit impetum in territas magnamque cladem edit. Sed quia copiarum hostilium multitudo non uno in loco erat vincenda, Saules prosequendæ victoriæ cupiditate incensus, perjuramento suum, & uniuscujusque caput obstringit vitæ propositô suppliciô, si quis ex omni militum numero cibum ante sumpsisset, quàm universum hostilem exercitum rex delevisset. Victoriâ paratâ consultum Oraculum, num ea strage satis litaturus esset vindictæ bellicæ; cum responsum nullum redderet, per sortes inquisitum est, in causam silentii compertusque *Ionathas*, & propria confessione comprehensus mel linxisse silvestre, summitate virgæ favum extenta, ignarus tamen adjurationis paternæ & gravis inediæ necessitate adactus. fuerat tamen ille linctus capite staturus, nobilissimo & fortissimo Juveni, nisi populi deprecatio intercessisset, negatus victoriæ suæ principem, & auctorem, fieri victricem oportere. Quod quidem Saulis edictum, quæque pœnam adjunctam dum alij nimix severitate damnant, alij absolvunt, nos in medio relinquimus & alteram *Reprobationis* miseri regis causam reprobemus; quæ fuit alterius mandati neglectus.

Jussus quippe à DEO Saules erat, *Amalecitas*, gentem Palæstinae, cujus scelera mensuram expleverant, radicibus excindere: non sexûs ullâ, non ætatis, aut formæ misericordiâ: neque gregum & amentorum, ceterique pecoris ullo respectu: neque rerum ac fortunarum hostilium, aut spoliolum cupiditate; si quis hostili jugulo pepercisset, humi in proprium caput crudelem fore: daturumque po-

nis, quia pœnas non sumpsisset. Saules, prostra-  
 tis magna cæde Amalecitis, regnóque devastatô,  
 cum omnia, quæ viva, jussu DEI trucidanda, quæ  
 capta, ferro, flammâque destruenda fuissent; cum  
 ipse, tum milites regem Amalecitarum *Agágum*, è  
 fuga retractum, conservandum sibi sumpserunt pro  
 triumpho; vestimentorum insuper pretiosiora: gre-  
 gum & armentorum pinguißima quæque: denique  
 suppellectilium, & opum potiora, magisque specio-  
 sa sibi quisque, vel regi suo reservârunt. Nec abe-  
 rat improbitati titulus, opimior DEI cultus, & pin-  
 guiores in Sacrificia victimæ: donariæque Taberna-  
 culi, captivum aurum, ac vestes. Quâ re intelle-  
 ctâ Samuel, irati Numinis vindictam iterum Sauli  
 denuntiat, ob contumacem arrogantiam. Simul-  
 que bobus omnibus obefiorem *Agágum*, graviter ob  
 tyrannidis crudelitatem increpitum, ac mortis pro-  
 pinquitate contremiscentem, superque acerbitate  
 vicini fati quiritantem, ad aram trahit, impellenté-  
 que DEO, gratissimam cœlo victimam facit, suapte  
 dextra concisum in frustra. Quò peractô, *Ramathim*  
 ipse, relictô perpetuò Saulis confortiô, se refert. Ibi  
 multum, sed incassum, deplorato Saulis casu; à  
 DEO Bethlehemum, oppidum Judææ Tribûs, ab-  
 legatur, Iessæque filium Davidem, novemdecim  
 tunc annos natum Sauli substituit, ac Regem inungit,  
 septem ejus fratribus, ætate majoribus, neglectis. Ex  
 quo temporis puncto Saules, tametsi pro rege se ge-  
 reret, ad extremum usque vitæ spiritum: mortali-  
 bus quidem plerisque Rex; Samueli verò, Deoque  
 regni tantummodo procurator esse cœpit, Davidis  
 vices obiturus.

Hanc

Hanc autem rerum, ac functionum mutationem invexerat repentina Saulis è viro bono, degenerem in virum, transmutatio: potissimum cognitæ divinæ voluntatis, nec tamen operibus expletæ, culpa Spiritu dehinc privatus est illo, qui Regibus ad idoneam gubernationem pernecessarius est; & in vicem nefariò bilis atræ Geniò infessus, in alia super alia delicta præceps ruit, ingens mortalibus omnibus exemplum, suo apte damno, primos ut post lapsus, quàm maturrimè resipiscant, nisi tristiùs perire velint. Nam & *Davidem* optimè de se, deque regno suo meritum, generum insuper suum, sæpius lanceis transverberare, aliòve mortis genere, de medio tollere conatus est; & *Abimelechum* Pontificem, cum octoginta quinque Sacerdotibus, quòd fugienti Davidi receptaculum concesserant, cum universis Nobilibus urbis incolis contrucidavit, tectaque succendit. Ad artes denique magicas confugit, Samuelem è templo excitaturus; cujus minax spiritus ultro se aspectabilem reddens, postridianam cladem interminatus est, Saul enim tribus cum filijs, à Philistæorum exercitu cæsus, ac profligatus est. In spe salutis abjecta, furijs agitatus conscientia, timensque, ne hostium insequentium in manus incideret (à quorum sagittis jam vulnus acceperat) consilium interficiendi sui concipit; direptum vagina gladium pronus in medium defigit; corpus quem continuò, furoris eodem genere sectatus armiger, & ipse necem infert sibi. Hostes in promiscua strage, Saulis & filiorum corpora deprehendunt; illum regijs ornamentis exuunt; cadaverum scedè truncata, denudatæque, ex mœnibus urbis



Betsamis suspendunt; quæ de nocte à Jabessitis civibus ablata, publico civitatis luctu, terræ mandata sunt. Caput verò Saulis præcisum, in templo Dagonis idoli, tanquam anathéma suspensum à Philisthæis.

Sed quid juvant Saulem honores tumuli, si anima sepulta sit in Tartaro? Itaque filiorum (quod mireris) optimi quique, fortissimique prælio sunt cæsi: deteriores reservati, non ad gloriam Saulis, sed ad opprobrium. *Isbosethus* enim, animi nequaquam militaris, à latronibus, meridiis, dormiènsque trucidatus; de quo postea. Ionathæ verò filius *Miphibosethus*, patris optimi, natus non malus, DEO tamen *Avi* scelera, vel in nepotibus castigante, captus pedibus fuit: & fortunâ sæpe magis, quàm pede claudicans, alienò vivere coactus est arbitriò, cibo, tribunali. Filij præterea, quos è *Respha* concubina suscepit Saules, carnificum manibus transmissi, in crucem sunt acti. Patruelis *Abner*, à *ioabo* copiarum Davidis duce, turpi, foedòque vulnere missus est ad plures; ne superaret, qui Saulis familiam, in regni propagandi spem, excitaret unquam, aut fulciret. *Michòli*, Saulis filia, ne liberos quidem unquam, è Davide marito, largiri DEUS dignatus est: ut nec femina quidem ulla, Saulæ stirpis aliqua favilla superesset. Sic magni plerumque, ubi ceciderint, magnas post se ruinas trahunt.



NAR-